

2685

## H O M I L E T I C I

2686

*vigilia assumptionis marie usque ad finem. Sed interjacet Index a fol. 279 — 284. Tum fol. 291. minio: In vigilia Assumptionis. De Archa domini et de eis qui in archa erant. Initium Sermonis: Beatus venter qui te portavit, luce 11. Boecius. Beatitudo est status omnium bonorum &c. Haec Pars fol. 537. finitur in Sermone CCXI. Ad cujus calcem legitur: Expliciunt sermones de sanctis scripti per paulum de Niclaspurga quondam studentem wienen. sub Anno Domini M<sup>o</sup>. CCCCXXX<sup>o</sup> feria secunda post festum sancte Elizabeth hora 4 post meridiem. Huic quoque Parti adjunctus est Index, et primum quidem similis superiori, dein alter, quo docetur, quibus etiam Dominicis Sermones in hoc Opere contenti adplicari queant. Ad hujus calcem rursus minio legas: Expliciunt sermones de tempore et de sanctis per manus Pauli de niclaspurga. Tertia denique Pars a fol. 568. Sermones XXII. de Festis B. V. complectitur hoc initio: De annunciacione beate Virginis. Ave Maria gracia plena. Tam in epistola quam in ewangelio gloriose virginis gloria multipliciter extollitur &c. Nullus hic index, sed haec finalis clausula: Anno domini Millesimo CCCCXXXI<sup>mo</sup> finitus est liber sermonum per paulum de niclospurga &c. Deo gratias. laus christo qui vivit et regnat sine termino. Finis adest operis finales cupio laboris. date et dabitur regnum dei vobis &c. Finis adest operis deus sit merces laboris. Cum in Parte I.*

inter alios habeantur Sermones de S. Francisco, de S. Clara, de Translatione b. Francisci, conjicere licet, autorem ad familiam FF. Minorum pertinuisse, cumque in ultimo horum Sermonum Wicleffi et Hussi aetate vellentur, paene suspicor ipsum esse Johannem Capistranum, cujus circa hoc tempus acta in nostris regionibus neminem latent historiae studiosum.

## DCCXXIX.

Codex chartaceus lat. Sec. <sup>199</sup> XV. Folior. 180. f. per duas columnas scriptus et rubricis distinctus, olim κρημα Wenceslai Rosfa Sacerd. Prossorovini al. Cbrudimensis, continet, ut fol. praevio notatum est: Sermones cum postilla de sanctis totius anni dicta Magistri Matej de Cracovia (Krockow) olim predicatoris prage in leta curia. Sermo primus est in Festo Andreae Apost. in illud: Ambulans ihesus iuxta mare galylee Matth. 4. et incipit: Hic dicit Haymo dominus ihesus christus usque ad tricesimum etatis sue annum secundum carnem non habuit discipulos &c. et sic decurritur anni circulus usque ad Festum Catharinae, quod Sermones de Comuni, ut vulgo dicitur, Sanctorum excipiunt. Nihil paene in his Sermonibus ex Legendis depromptum est, sed verbis Evangelii et morum doctrinae insistitur. Ad calcem jacet clausula: Finis postille de sanctis per circulum anni dicta magistri Mathei de Krocovia

M 2

Qui

2687

## C O D I C E S

2688

*Qui fuit predicator in leta curia Ciuitatis pragen &c. Meminit huius Operis Bohemia docta Bob. Balbini ex edit. Cl. Raph. Ungar P. II. p. 284. citata jam ad Cod. DCXXXVII. et Fabricius in Bibl. med. et inf. Lat. L. XII. ex Lambecii L. II. p. 776. edit. Kollar. col. 579.*

## DCCXXX.

<sup>202</sup> Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 222. f. currente calamo per duas columnas scriptus continet I. *Conradi Stekne, Strykna*, vel de *Sstiekna*, a longa in *Austria* et *Academia Vienn.* commemoratione dicti *ab Austria*, teste *Hagecio* canonici regularis et *Plebani B. V. Teynensis* in *Urbe vet. Pragensi*, viri non minus ab eloquentia, quam odio *Monachorum famosi*, qui obiit 1369. ut habes in *Balbini Bob. docta P. II. p. 181. Sermones de Sanctis* per anni circulum. Sermo I. de *S. Andrea* Apostolo in illud: *Osculetur me osculo oris sui &c.* incipit: *Ad gloriam primo et honorem sancti andree sumo illud verbum &c.* In *Sanctos Bohemiae Indigetes* Sermones sunt sequentes: *Fol. 37. in translationem S. Wenceslai. Fol. 40. in Cyrillum et Metodium. Fol. 48. in Adalbertum. Fol. 68. in Vitum. Fol. 102. in Ludmillam. Fol. 108. in Wenceslaum.* Notari meretur Sermo *fol. 143. sic inscriptus: Incipit sermo ad clerum factus per venerabilem magistrum ysneri sacre theologie professorem de obitu regine*

*Cracouie. Errore sane ridiculo Librarius ignorans ex R. P. quod in autographo aliquo Reverendum aut Reverendissimum Patrem indicabat, Regnam Poloniae effinxit; est enim Sermo hic in obitu Johannis a Genstein Archiep. Pragensis habitus, qui Romae 1400. decessit, ut paucis post initium lineis adparet, ubi dicitur, verba Pauli: Mors illi ultra non dominabitur, non inconvenienter posse adplicari reuerendissimo in christo ac domino domino Johanni olym archiepiscopo pragensi et nunc ultimo patriarche alexandrino felicitis memorie, cuius de presenti exequias peragimus. Et tamen imperitus homo mox subjicit: Cogitanti mihi de illius Regine Poloniae (Rev. Patris) morte et obitu temporali magis libet flere &c. Et post medium: Regina Po. felicitis recordationis caduca et transitoria huius mundi minime curavit — Quod euidenter patet in archiepiscopatus pragensis resignatione ubi gloriam diuitias et honores reliquit Et se ad locum desertum et quasi heremiticum in castrum belsinburg se transtulit, ut soli deo vacare posset Et in totalis vite sue cursu quia ex nobilibus et diuitibus parentibus &c. Tandem patrie natalis dulcedinem omnino derelinquens ad partes ytalie et ad romam in qua et nunc finem suum clausit extremum quasi ad exilium se dedit Et sic patet quomodo primo spoliavit se possessionibus deinde cognacione sua Quibus etiam ipsum omnino mors naturalis priuauit Quia diuina uolente misericordia bene mortuus est Quia*  
in